



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

20. Vtrum ut in superiori casu sentiendum sit, quando quis infert injuriam pluribus personis, an vero sit necessarium explicare in confessione numerum personarum? Sed resolutio hujus casus pendet ex ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

tra Sotum, & Reginaldum, explicare contumelias graves, sed satis esse dicere: Toties contumelia affecti Petrum, Ioannem, &c.

Sup. hoc in Ref. 1. not. pr. et citat. § 2. & in Ref. 3 in eodem §.

4. Notent Confessarij, quod etiam hæc doctrina est applicanda, & practicanda in detractionibus; & sic à multis scrupulis, & interrogationibus immunes erunt. Vide Bonac. *tr. de Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. difficult. 3. num. 17* qui nostram sententiam probabilem vocat. Aliqua etiam, quæ ad hanc materiam pertinent, reperies in *trati. 4. de Sacram. tertie huius Operis Partis*, * *Resol. 67.*

* Quæ hic est infra Ref. 165.

RESOL. XX.

Virum, ita ut in superiori casu sentiendum sit, quando quis infert iniuriam pluribus personis an vero sit necessarium explicare in confessione numerum personarum?

Sed resolutio huius casus pendet ex illa questione, utrum in eodem actu possint dari plures malitie, solo numero distinctæ? Ex part. 1. tr. 7. Ref. 29.

§. 1. **E**xplicandum esse censuit Yribarne in 4. sent. disp. 17. disp. 1. §. sect. 8. to. 2. nam, dum eadem iniuria in plures est prolata, tot peccata committuntur, quot personæ afficiuntur tali iniuria: damna siquidem causata in fama & honore, eatenus iuxta numerum personarum numerantur, ut nequeant cadere sub vnica exultatione, perinde atque damnum illatum in vita. Ita enim sentit Bonacia *de Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. diff. 3. n. 16.* vbi ait, qui pluribus iniuriam intelit, teneri numerum personarum exprimere: non, quia pluritas personarum, præcisè, sit circumstantia mutans speciem; sed, quia est obiectum terminans, & determinans ipsum actum, ut aliquid spectans ad ipsius substantiam quasi indiuiduam: cum autem ipse actus indiuidualis exprimendus sit in confessione, & hic exprimi sufficienter nequeat, non expresso numero personarum; sequitur, numerum personarum exprimendum esse. Et in terminis hanc opinionem sequitur, præter Zerolam in *praxi panit. cap. 12. q. 4. 8.* & Henriquez *lib. 5. c. 5. n. 4.* sequitur, inquam, Valquez, *vbi infra*, & Tannerus in 2. disp. 4. q. 2. dub. 4. n. 55.

Sup. hoc in Ref. seq. in principio, & ex consequentibus in multis alijs Ref. illi frequentibus.

2. Sed resolutio huius casus pendet ex illa celebri questione, utrum in eodem actu possint dari plures malitie, solo numero distinctæ? Negat P. Suar. in 3. p. re. 2. disp. 22. sect. 5. n. 4. Affirmat Valquez etiam in 3. p. rom. 4. q. 9. art. 1. dub. 4. n. 4. Sed, licet Suarez teneat negatiuam sententiam asserit tamen, confitendum esse necesse non numerum personarum. Sed magis consequenter loquitur Valquez: nam n. 8. ait: [Hoc dixerim in opinione hac, quam credo probabilior, in eodẽ actu esse posse duplicem malitiam solo numero differentem; cuius contrarium non existimo improbabile: & secundum illam tenentur, qui eam sequuntur, dicere, eam circumstantiam non esse necessariò explicandam.] Vbi vides, eos, qui tenent, in eodem actu nõ esse posse plures malitias solo numero distinctas, quam opinionem probabilem vocat Valquez, debere dicere in nostro casu, circumstantiam, & numerum personarum non esse in confessione aperiendum; iuxta sententiam, quam sequimur, circumstantias aggravantes non esse aperiendas in confessione.

3. Dices: Vnitas peccatorum non tantum defumi debet ex vnitate actionis; sed etiam ex multiplicitate personarum, circa quas versatur actio: sed in proposito casu reperiuntur plures personæ, & plura subiecta, circa quæ versatur illa iniuria: ergo sunt plura numero peccata. Respondeo, vnitatem, & multiplicitem peccatorum defumi ex vnitate, & multiplicitate personarum, & subiectorum, quando actio fit succes-

siuè circa plures personas, non quando fit tota simul circa plures personas, ut in nostro casu: quando enim quis fert iniuriam erga decem homines, illa iniuria respicit illos decem homines; per modum vnus obiecti, & ideo vnica habitudine transcendentali ad illos tenet. Quapropter, licet vnumquodque ex his obiectis per se possit terminare actum sibi ad quantum, & ita possent esse ad alia obiecta plures respectus distincti; tamen ut cadunt sub tali actu, nullum illorum obiectorum per se sufficit ad terminandum aliquem respectu illius actus, sed solum omnia coniunctim. Ergo, &c. Sed, his non obstantibus, contrariam sententiam cum Valquez, tenendam esse puto, & eum citatis DD. Sed ad alia deueniamus.

RESOL. XXI.

Virum in eodem actu possint dari plures malitie solo numero distinctæ, & in confessione aperiendæ?

Et de hac questione pendet decisio multorum casuum in praxi sæpius occurrentium.

Et inter alia, que ex doctrina supradictæ questionis inferuntur, septem casus assignantur in totum huius Resolutionis.

Et tandem notatur, quod si quis vno icu tres occideret Clericos, in tres excommunicationes incurreret.

Idem est dicendum de irregularitate.

Secus autem si ter percuteret Clericum, nam tunc tantum incurreret excommunicationem. Ex part. 3. tr. 4. Ref. 163. alias 164.

§. 1. **D**E hac questione pendet decisio multorum casuum in praxi sæpius occurrentium. Partem negatiuam tenet Filliucius *to. 2. tr. 2. c. 8. n. 320.* Layman in *Theol. mor. lib. 1. trati. 3. c. 3. n. 2.* Duadus in *Bull. Con. l. 3. §. 3. q. 2. n. 3.* Megala in 1. part. lib. 5. c. 12. n. 4. & Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 22. sect. 5. n. 33. vbi tamen asserunt, in hoc casu debere explicari eas circumstantias in confessione, non, quia multiplicentur peccata, sed, quia a: gent peccati grauitatem. Et ratio est, quia licet actus tendat in plura obiecta materialiter distincta, non tamen tendit in illa per modum plurium, sed per modum vnus.

2. Sed qui probabiliter tenet circumstantias aggravantes non esse in confessione explicandas, poterit consequenter sine peccato in tali casu istas reticere, quod minimè dicendum est. Et ideo affirmatiuam sententiam amplectendam esse puto, quam etiam tenui in *tr. de circumstantiis resol. 29.* cum Valquez, cui nunc addo Salas in *part. 2. tr. 1. 3. disp. 3. sect. 2. n. 19.* Azorium *tom. 1. lib. 4. c. 4. ques. 5. §. 6.* Henriquez *lib. 5. c. 5. n. 4.* Pelantium in *addit. ad 3. p. q. 10. disp. 3.* Yribarne in 4. sent. tom. 2. disp. 17. disp. 1. §. sect. 8. Clauem in *Regiam lib. 2. c. 5. n. 14.* & alios. Dico igitur, quod in eodem numero actu physico reperiuntur plures malitie morales numero distinctæ, & consequenter censentur plura numero peccata, quæ omnino sunt in confessione explicanda.

3. Ex hac secunda opinione inferitur.

Primò, quod qui statuit totam Quadragesimam vnico voluntatis actu non ieiunare, tot peccata committere, quot sunt dies Quadragesimæ, & idem dicendum est de eo qui statuit omittere Missam, vel Officium diuinum per totum annum; aut habuit voluntatem occidendi multos homines, quod etiam intellige de simplici complacentia voluntatis, ac delectationis morose. Vnde si quis de præsentis sibi complacere, seu delectetur morosè, de triplici actu nefando antea habito committere tria peccata delectationis morose numero distincta, & in confessione aperienda. Vide Mollesium in *sum. tom. 1. tr. 8. c. 7. n. 19.* Salas in *p. 1. tr. 1. 3. disp. 5. sect. 6. n. 6.* Pelantium in *addit. ad 3. part. q. 10. disp. 3.* & alios.